

in hoc vocabulo interposita est, ut in vocibus: *γεν-ε-τήρ*, *γέν-ε-σις*; *δε-τή* (sc. *λαμπάς*) fax colligata, in quo vocabulo vis et figura adiectivi verbalis clarissime cernitur (*δέ-ω*); *ενε-τή*  $\Xi$  180 (scil. *περόνη*) *ένετός* adj. verb. (*ένίημι*); *έορ-τή*, *ε* vocalis locum tenere videtur digammi, etymon vocabuli nondum repertum existimat G. C. 510; *κρατευ-ταί* I 214, fortasse *ευ* diphthongus explicari poterit collata voce *κρα-τύ-ς*, quamquam non video, quomodo inde notio vocabuli explicetur cf. *τελευ-τή*; *πινυ-τή* (rad. *πινυ*) cf. *πε-πινυ-μένος*, *πινυ-τός*, *πινύσσω*; *τελευ-τή*, haud sio an *τελευ-τή* eodem modo ad *τελέω* sit referendum, quemadmodum *κρατευ-ταί* ad *κρατέω*, videtur enim notio tenendi quoque vel sustentandi fulciendique inesse in verbo *κρατεῖν*, ut *κρατευταί* sint sustentacula vel fulcimina.

In *τη* videntur exire: *ἄτη*, *δαίτη*, *κασιγνήτη*, *αὐτοκασιγνήτη*, *κίστη*, *κοίτη*, *περάτη*, *χαίτη*; *ἀκτή* (litus), *ἀκτή* (mola), *αὔτη*, *βιοτή*, *βροντή*, *δετή*, *ένετή*, *έορτή*, *κρατευταί*, *πινυτή*, *τελευτή*. De his nominibus agit L. M. II, 325. cf. 302. In *ατη* videntur exire: *ἀπάτη* *ἐλάτη*, *ἡλακάτη*; in *ετη*: *ἀρετή*, *γενετή*, quorum nominum nonnulla L. M. II, 94 in suffixum anta vel ata antiquitus exiisse suspicatur, quamquam ipse eam rem in dubium vocat. Hoc certum est, nonnulla eius generis nomina ab initio adiectiva verbalia fuisse et inde in substantiva abiisse cf. *δαίτη*, *κασιγνήτη*, *κοίτη* (in quibus mutatus cernitur accentus), *ἀκτή*, *ἀρετή*, *βιοτή*, *γενετή*, *δετή*, *ένετή*, *βροντή*. — Omnia haec nomina sunt primitiva et verbalia, nisi forte *περάτη*, quippe quum ab adverbio *πέρα* ductum sit, ponere malumus in denominativorum numero.

**XVII. Substantiva in *τροη* et *θλη* suffixa exeuntia.** (5) *καλύπ-τροη* velamen (*καλύπ-τω*) cf. *καλυπτήρ*, *ἦρος*; *ρή-τροη*  $\xi$  393 (rad. *φερ* = *φρή-τροη*); *φαρέ-τροη* (*φέρω*) 'ferculum sagittarum'; *γεν-έ-θλη* (rad. *γεν*); *ιμάσ-θλη* (= *ιμάτ-θλη*, *ιμάσσω* = *ιμάττω*) flagellum.

De his nominibus, quae vulgo instrumenti dicuntur, multa collegit Lobeckius ad Buttm. § 119, 35 pag. 413. 414, ad quem locum conferatur L. M. II, 361. 362. Ex vocabulis, quae ibi enumerantur, luculentissime apparet, quatuor huius suffixi in lingua graeca exstitisse figuras '*τροη*, *θρη*, *θλη*, *τλη*' (*καλύπ-τροη*, *βάθρα*, *ιμάσθλη*, *έχέτλη*), quarum tres posteriores ortas esse ex *τροη* per se clarum est. Si nominum significationes perlustaverimus, statim inveniemus *καλύπ-τροη*, *φαρέ-τροη*, *ιμάσθλη* nominibus instrumenti iure adnumerari posse, *ρή-τροη* vero atque *γενέθλη* nominibus potius acti sive effecti esse attribuenda; haec nomina quinque sunt primitiva. Inter nomina in *τροη* et in *τρον* exeuntia arctissimam intercedere necessitudinem, vix est, quod moneam. In *φαρέ-τροη* vocabulo, quod arctissime cohaeret cum *φέρ-ε-τρον*, animadvertendum est *ε* vocalem, quae est in radice *φερ*, mutatam esse in *α* vocalem; etiam hoc commemoro, in vocabulis *φαρ-έ-τροη* *γεν-έ-θλη* suffixa *τροη*, *θλη* auxilio vocalis *ε* cum radice esse iuncta. *γάστροη*, quod L. M. per *τροη* suffixum fictum esse existimat, equidem puto a *γαστήρ* (*γαστερ*) esse derivatum, de qua re supra accuratius sententiam meam exposui.

**XVIII. Substantivum unum, quod in *φη* suffixum exit.** *κορ-υ-φή*. G. Curtius 462 auctoritatem Lobeckii Path. Prol. p. 298 secutus hanc vocem cognatam esse docet vocabulo *κόρυμβος*, quod videtur esse fictum ex *κορυφή* consona *υ* in syllabam *υφ* recepta (cf. *τάφος*: *θάμβος*, *στρέφω*: *στρόμβος*). Itaque G. C. substantiva *κορυφή*, *κόρυμβος*, *κόρυς* refert ad vocabula *κάρ*, *κάρα*, a quibus *κορ-υ-φή* derivatum esse existimat auxilio suffixi deminutivi, quod idem cernitur in vocabulis *ἀργ-υφο-ς*, *κωλ-ύφ-ιον* cf. vocabula in *φος* suffixum exeuntia. L. M. II, 158 *κορυφή* adnumerat nominibus in *η* exeuntibus.

**XIX. Substantiva in *ῆ* exeuntia.** (2) Duo reperi nomina appellativa, quae hoc loco laudanda sunt: *γη*, quod videtur contractum esse ex forma *γέα* (cf. *γαῖα*, *αἶα*), quam quidem formam fortasse possumus conferre cum radice *γεν*, *γαν* (creare). *γη* nominativus apud Homerum legitur quatuor locis *T* 259 *Φ* 63 *ν* 233 *ψ* 233, genetivus *γῆς* quatuor locis *λ* 167. 301. 482. *μ* 27, dati-